

DISPVVATIO MEDICA

De
ICTERVO,

Ad quam

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,

PRAESIDE

IOHANNE SIGFRIDO, PHIL. ET
Medic. Doct. & Professore in illustri Iulia
ordinario, pro tempore Facultatis Me-
dicæ Decano,

PUBLICÈ

respondebit

LEVINVS FISCHERVS, OSTEROVI-
CENSIS SAXO.

Ad XVII. Kal. Aprilis,
in auditorio maiore hora 6.



HELMÆSTADI,
Ex Typographeio Iacobi Luci,

Anno c1o. 1o. cXl.

LECTURAE

HERMANNI
in Typographia Jacobi Luch.
Anno 1715.



Graco l
quod, iu
tionis ge

Vel quò
debeat,
peruile
parur, A
catur et i
colorem
2. E
adfectus
& essent
cem cor
pertinet
3. S
causis &
tus seu
ceterae



DE ICTERO.

THESIS I.



Adfectum hunc corporis humani, Græci *ἰκτερίον* nominant, vel *διὰ τὸ ἰκτίον*, hoc est, à Miluo, quòd hoc laborantes vitio Miluini oculis similes, Auricolores vid. conspiciantur; vel quia *ικτίδα*, id est, Viuerram siue Mustelam colore repræsentet; Latinis à Græco *Icterus* & *Ictericia* dicitur, Item *MORBVS REGIVS*, quòd, iuxta Varronem, Mulso, quod in Regum delicijs positionis genus est; vel, vt ait Serenus:

Molliter excelsa quòd sit curandus in aula;

Vel quòd omnibus vacua ac soluta curis, auriginosi mens esse debeat, lectoq; & conclau cultiore, ludis ac lasciuiâ uti, ipsi perutile sit, quibus exhilaretur. A Corn. Celso *Aurigo* nuncupatur, Auri quippe colorem bilis in corpus diffusa refert. Vocatur etiam *Arquatus*, quoniam cœlestis arcus imaginem, si colorem respicias, præ se ferre videtur.

2. Ex Nominis notatione, quæ instar descriptionis huius adfectus esse potest, de facili est colligere, quæ eius sit natura & essentia. Est enim symptomatum genus, quod ad simplicem corporis *ἁφροσύνην*, seu ad qualitatem corporis immutatam pertinet, & oculis aspectabile est.

3. Species huius adfectus duæ præcipuæ sunt, non solum causis & signis, sed coloribus etiam differentes, *Icterus sc. flauus* seu *citrinus*, & *niger*. Et ad hæc duo q. summa genera, cæteræ colorum varietates mixturæq; siue *ῥηταὶ* sint, siue *ἄρ-*

ῥινας, quarum Galenus alijq; meminerunt, commodè referri possunt.

4. Icterus flauus, est fœdus & odiosus color ad vniuersam corporis cutim effusus, productus ex effusione biliosi humoris excrementicij.

5. Etsi autem mutatio coloris in corpore plures ob causas contingit: tamen hîc de ea solùm agitur, quæ vitio fit aut Epatis, aut vesiculæ fellis, aut lienis, aut habitus totius corporis.

6. Color autem ille, tam à flaua quàm atra bile proueniens, in summam cutim, non vno, sed multis modis, varijsque de causis diffunditur; Cutim itaq; quam Icterus occupat, pro Subiecto habere videtur.

Fern. 1. m.
m. 4.

7. Causarum cognitio, cum plurimum ad iugulandum morbum faciat (persistentibus enim illis, adfectus manet, nec penitus euelli potest) non abs re facturos nos arbitramur, si illas paulò altiore mentis supercilio quæramus. Eæ autem duplices sunt, aliæ Externæ, aliæ Internæ.

8. Causæ ἑξωθεν παραπλησιας variæ numerantur in Ictero, veluti sunt: Defectus vel excessus in sex non naturalibus, Labores & exercitia nimia tempore æstus nimij, quæ alias corpus lassum & ineptum reddunt, cum omne nimium sit naturæ inimicum, vsus frequens ciborum dulcium, pinguium & calidorum, quibus Epar dein obstruitur, quò minus materiam, vti par erat, possit bili admittere, vnde inflammatur, inflammato Epate, sanguis corrumpitur, qui in flauum mutatur colorem, quo cutis tota suffunditur. Huc accedit virulentarum bestiarum, vti viperæ, demorsus, aut epotum non ad eò validum venenum, nec per aluum redditum, quorum vi sanguis omnis pristinâ priuatur puritate, & in citrinum & biliosum corrumpitur humorem, qui omnia peruadens, cutim inficit atq; labefactat.

9. Inter-

9. Internam & Continentem causam Galenus duplicem constituit: quando natura flauam bilem (cum nimia est, vt deinceps enumerabitur) per vniuersum corpus ad cutim effundit, irritata facultate partium, copia aut qualitate materiae, quod interdum fit in morborum iudicationibus, iecore haudquaquam malè adfecto. Altera cum iecur malè adficitur, id quod trifariam euenire solet, dum nimirum vel scirrhus, vel inflammatione, vel obstructione laborat.

10. Nimiam bilis copiam gignit, aut Intemperies iecoris calida & sicca, aus eius feruens inflammatio, cuius vi, sanguis in bilem transmutatus, per totum defertur corpus; aliquando ab intemperie calida solidarum partium, alimentum in bilem transmutantium.

11. Deinde in generatione Icteri, bilis, vti decebat, non euacuatur, aut à sanguine segregatur, quod primum fit vitio iecoris, bilem à sanguine non segregantis, & à se pellentis; deinde ob imbecillitatem siue expultricis in Epate, siue attractricis in vesicula fellis, ex intemperie frigida.

12. Accidit quoque, quando vesicula fellis à copia materiae ultra naturae modum & legem distenta, ita tandem languet, vt contentam bilem excernere nequeat; quod & in vesica urinaria aliquando vsu venire solet.

13. Præterea separationem illam prohibet Angustia meatuum, per quos bilis in Epate expurgari solet. Nam ex ductu Cholidocho, vel è ceruice vesicæ felleæ egrediente, vel ab intestino duodeno sursum producto, medio eius inter rectum intestinum & vesiculæ ceruicem, duo meatus enascuntur, dexter & sinister, qui sursum adscendentes, vtrinque propè vesiculæ ceruicem in Epate implantantur, in eoque inter venæ Portæ & Cauæ ramos variè distribuuntur, per hos duos meatus bilis à massa sanguinea in Epate segregata, defluit deorsum in Cholidochum dictum meatum, ex quo, considerato & obseruato

seruato vero & naturali vesiculæ situ, partim fluit in vesicam, partim in duodenum illabitur. Bilem enim ex folliculo sponte non effluere, demonstrant membranæ seu valuulæ, in cavitæ vesiculæ ad ceruicem, & in ipso meatu infra ceruicem positæ, quæ cum omnes foris intrò spectent, non tantum effluxum seu regressum prohibent, sed etiam meatum adeò angustum reddunt, vt vix stylus satis tenuis, ad vesiculam propelli possit; imò nec ventus in eam immitti potest, si parte inferiori Cholidochus infletur. Quas ob causas non sponte, sed ægrè, & non nisi pressâ vesiculâ ex cavitæ eius bilis profluit; at per patentés dictos meatus ex Epate fertur ad intestinum. Hæc ita esse non tantum monuit Vesalius, lib. 5. c. 8. Et C. Bauhinus lib. 1. c. 45. adnotauit: verum etiam inspectio & experientia Anatomica sæpius nos edocuit.

14. Oritur autem illa meatuum angustia, vel ab illorum, aut Epatis, aut folliculi fellis obstructionem, siue ea fiat ab humore crasso lentoq; siue à Calculis, quos sæpè figura, magnitudine, colore differentes magno numero, & in vesicula fellis, & scirrroso Epate inuenimus & conspeximus: vel ob partium earundem, aut vicinarum quoq; inflammationem aut scirrhum: vel deniq; ob meatuum aut adstrictionem à frigidis & siccis, aut compressionem vicinarum partium, tumore aliquo præter naturam adfectarum.

15. Auicenna & Aretæus testantur, oriri aliquando Ictericum vitio intestinorum, præsertim Coli, quando plurima bilis, eaq; crassior in eo coaceruatur, vnde Colicus dolor, & post hunc, regurgitante parte quadam humoris ad Epar & venas, Ictericus. Aliquando Ictericus dolorem Colicū antecedit, quando obstructo meatu bilis, qui ad intestina tendit, materia crassa, pituitosa in intestinis retinetur.

16. Deniq; fit Ictericus in febribus, qui propterea Criticus appellatur, significat enim, naturam bilem ipsam flauam, vnde fe-

de fe-

de febris fuit procreata, ad cutim iudicatoriè protrudisse, de quo Hipp. 4. Aph. 62. & 64.

17. De natura Icteri flauī haecenus sat dictum; agendum nunc porrò de Ictero nigro, qui Niger aut subliuidus corporis color est, ab effusione Melancholici humoris in summam cutim procedens.

18. Causam huius Icteri inuestigaturis, ipsa definitio satis abundè declarat, quod nimirum sit Humor Melancholici effusio, quæ fit, quando iecoris facultas & *ιδιοσυγκρασία* humorem Melancholicum à sanguine segregare, & ad lienem expellere nequit, obstructis vid. vijs vel meatibus ab Epate ad lienem tendentibus. Huc accedit, debilitas expultricis Epatis, & attractricis lienis facultatis ob intemperiem, quæ facultas impeditur non solum propter obstructionem, verum etiam scirrhum, aliumue tumorem. Quinetiam humor Melancholicus, naturâ, copiâ aut qualitate humoris irritatus, interdum in corporis habitum pellitur.

19. Causa etiam extra accedens, hoc malum procreare & augere potest, veluti, nimius vsus ciborum, qui facilè in humorem Melancholicum conuertuntur.

20. Et paucis multa comprehendendo, causari potest, aut ex nimio calore totius corporis sanguinem adurentem, aut frigore nimio eundem denigrante & consolidante.

21. Transeundum nunc consequenter ad Signa Ictero-
rum, quorum generalia hæc sunt: Coloris corporis mutatio, Difficultas motus, & Pigritia, quam pruritus corporis comitatur, Venæ sub lingua replentur, Album oculorum, malæq; pallorem vel liuorem ostendunt, Nam, iuxta Fern. Si Icteri ^{2. de sign. 17.} iacta sunt rudimenta, primò facies flauescit, si arquati nigri, liuescit; quæcunque enim in corporis molem effunduntur, conspectius & dilucidius in facie, quàm in reliqua corporis cute efflorescunt.

22. In Ictericis Epar durum fieri, malum est. 6. Aph. 42.
Fit enim ex apostemate, quod in membro principali minimè
tutum.

23. Videndum propterea, num sentiatur grauitas, tensio
dolorque in dextro hypochondrio, quæ omnia si absunt, &
hypochondria sunt mollia & æqualia, incolume iecur esse iu-
dicabis, verum in corpus effusam bilem, quæ per cutim ali-
quantò crassiorem nequeat exhalare.

24. Quod si, vt Hipp. in prænot. monet, candida sit reie-
ctio in Ictero, nullam aut valdè paucam bilem ad intestina
fluere denotat.

25. Particulatim in Ictero flauo, Vrinæ flauæ, croceæ, tur-
batæ sunt, coloris flos perit &c.

26. In nigro Ictero dignoscuntur causæ etiam vt in citri-
no ex excrementis, vrina magis sese ad nigrorem conuertit,
aut aliquando est subliuida. Grauitas sinistri hypochondrij,
ex obstructione & duricie lienis. Mœrores ægroti, timor, an-
xietas, quæ nullam habent manifestam causam, hic sentiun-
tur; Infestatur æger multis imaginationibus, Mordacitas cir-
ca ventrem oritur, auersatur cibos, &c.

27. Restat postremò, vt ad adfectus huius curationem
venientes, de eâ aliquid dicamus, cuius scopus hic præcipuus
esto, vt bilis superflua euacuetur, venæ & meatus, per quos
deducatur, aperiantur, & facultates expultrices & reliquæ
debiles quodammodo redditæ, confortentur, ac si quæ no-
cua causæ sint, commodè auferantur; Quæ omnia tribus hi-
sce, quibus vtuntur Medici, perficiuntur & absoluuntur in-
strumentis, Diætâ vid. Chirurgia, Pharmacia.

28. Ac primum quidem Diætâ seu commoda victus ra-
tio (quamuis diætâ etiam cæteras res non naturales includat)
in morbis haudquaquam est negligenda, hac ipsa enim, Ga-
lenus 3. de L. adfect. c.7. multos se in initio curasse adferit,

29. Aër,

29. Aër, in quo versantur Ictericì, sit purus, lucidus, temperatus, omniq; ratione gratus, quo exhilaretur eorum animus, non contristetur.

30. Cibi sint *εὐπεπτοὶ καὶ εὐχυμοὶ*, exigui excrementi, flatuum expertes, cuiusmodi sunt, Carnes Phasianorum, pullo- rum gallinaceorum, perdicum, auicularum, oua sobilia recentia &c. Contrarij *δύσχυλοι* vitentur.

31. Potus regius, Regio morbo vexatis conuenit, ideoq; exhibeatur, si haberi potest. Perhibent enim Mulso regio potu multos fuisse curatos. Sic namq; Aegineta ait: Qui iecoris inflammationi arquatam acceptum ferunt, Mulsum bibent, vel decoctum tenuis Aristolochiæ, vel hyperici.

32. Exercitia moderata cibos præcedant, maximè verò fiant in amœnis & gratis locis, præsertim in Ictero nigro, ita tamen, ne corpus lassum, sed floridum reddatur.

33. Somnus maximè conueniens erit nocturnus, vbi cibi refederint in fundo ventriculi, vigiliæ non adeo profunt.

34. Excretiones solitæ tempore consueto habeantur; vsitata proinde hæmorrhoides incitandæ, & menses in mulieribus mouendi, vt tamen corpus leuetur non infirmetur.

35. Curis omnibus sit vacuus animus, quinimò ad laticiam & tranquillitatem componendus; Adfectus ab omni tristi cogitatione auertendi.

36. Icterus per Crisim factum medicinâ non indigere adfirmat Aegin: vt quod Balneis & moderata frictione subito discutiatur. Præterea facilem eius Icteri, qui citra febrim accidit, esse curationem, per cibos & potus extenuantes, medicamentaq; bilem educentia, testatur Gal. 5. de malè adf. L. c. vlt.

37. Facilius quoque est Icteri flauì curatio, si ab obstructione vesiculæ fellis ortus fuerit; quoniam meatus in hoc ad intestina sunt propiores & laxiores. Vbi verò obstructio

illa à calculis fuerit orta, difficulter durationem admittit.

38. Periculosior verò Icterus est, qui ab Epatis inflammatione, Erysipelate, aut Scirrho, materiâ putridâ & venenata ortum habet.

39. Si obstructio quædam in vesica fellis eiusq; meatibus adsit, illa prius est solvenda, Lenituo aliquo, aut etiam Clystere præmissio, postea, si plethora adsit, ægerq; ἐν ἰσχυρῇ δυνάμει constitutus, Basilica, aut venæ extremæ manus aperiri possunt, & sanguis pro ratione educi.

40. Ad Pharmaceutica auxilia pertinent primum lenientia & præparantia. Vbi hoc non negligendum, quod non sit utendum fortiori purgatione, obstructo Epate insigniter, nisi prius via facta sit aperientibus & detergentibus. Ideoq; memores oraculi Hippocratici 2. Aph. 10. nos esse oportet, vbi suadet, vt, si quis corpora purgare voluerit, fluida prius faciat; Materiâ quippe non digestâ, vijsq; non apertis, peccantes humores difficulter educuntur.

41. Sunt, qui in hoc casu vehementer commendant, Chelidonium maius, Fragariam cum radicibus, Eupatorium, Cichorium, Absynth. Pont. Fumariam, Alkakengi, Agrimon. Sem. foeniculi, Anisi, Dauci, Maluæ, Asparagi, Melonum, Rad. Cichor. Glycirrh. rasæ, petrosel. foeniculi, Asparagi &c. quæ omnia in aq. Cichorij, Fragariæ & vino Rheno decocta, exhibentur cum Syr. de Byzantijs, duabus aut quinque rad. Endiuia, acetosa, Limon. Eupatorio.

42. Præmissis hisce, & præparatis iam humoribus, cum non è riuis, sed fonte ipso exhaurienda sit mali scaturigo, ad purgantia transeundum, quæ per intervalla etiam repetenda & acuenda, cum Icterus est solutu difficilis & contumax.

43. Laudatur hoc in casu Rheubarbarum, si enim hoc in principio cum aq. Endiu. recipiatur, non mediocriter pellit Icterus.

44. Cor.

44. Corroborantia & intemperiem relictam emendantia sunt, conseru. Ros. Viol. Borrage. Buglossæ, Cichorij, Decoctum Guaiaci cum Oxymelite, Syr. de limonibus, Granatorum, de Cichorio, de Byzantijs, de fumaris, Capillis Ven. Confect. diarrh. Abb. Dialaccæ, Diacurcumæ, Diatrionfant.

45. Commendatur quoque præ reliquis Mithridatium cum Theriaca, præsertim in materia venenosa; Item Troch. de Rhabarb. Eupator. cum aq. decoctionis cicerum.

46. Vomitiones etiam, iuxta Auicennam, non erunt inutiles, imprimis si venenum adsit, vt fiat eius reuulsio, & euacuatio ab hypochondrijs, & partibus nobilioribus.

47. Cholagoga præterea Chymiatrorum Spagyrica *εγχεσία* præparata, possunt exhiberi, vti sunt: Extract. Rhab. Senn. Esulæ &c. cum sero lactis, vel alio conuenienti liquore.

48. Magnum quoq; vsum habet serum caprinum. Item, lac capræ enutritæ apio, petroselino, foenic. Eupat. asparago, &c.

49. A proprietate conducunt vermes terrestres vino abluti, exsiccati & triti, ac cum Melicrato sumpti, teste Galeno lib. de Theriaca ad Pison. Aëtius coctos, & cum Myrrha tritos fabæ magnitudine exhibet ex passo vel vino mulso.

50. Curatio denique Icteri nigri in ijsdem, in quibus lienis obstructionis, eiusq; duriciei curatio, consistit. Quare ne hic iusto longiores simus, de ijs Practici consulantur.

F I N I S.



